









52

DISPUTATIO METAPHYSICA  
DE

POTENTIA OBE-  
DIENTIALI.

D. O. M. A.

*Auctoritate & consensu Amplissima*

*Facultatis Philosophicae*

IN ILLUSTRIS SALANA

Publico examini subjecta

A

M. JOHANNES CONRADO DÜRRIUS


RESPONDENTE

JOHANNES CHRISTOPHORO REU  
NORIBERG.

A. D. Martij

A. O. R.

clō 10c IL.



JENÆ,

*Typis Caspari Freyschmidii.*

41.







**L**lustre documentum modestiæ Philosophicæ præbet princeps Philosophus, quando doctrinam de potentia & actu, *l. V. Metaph.* propositam, persecutus in *IX.*, dextrè monet: consilium sibi quidem esse, agere *primùm de potentia, quæ maximè propriè dicitur*, hoc est, (ut *Piccartus* noster ex *Pendasio* mentem ejus eruit) eâ, *quæ subiectum possibile, aut potens certo modo positivo realiter ad esse disponit, eiq; per motum advenit: plura tamen complecti potentiam & actum, quàm quæ solùm ex motu dicuntur.*

II. Sanè infelicitatis suæ in his talibus probè conscius, effectuum physicarum fines temerè egredi ausus non est; In hac tamen tantâ caligine tenues stricturæ supernaturalis potentiæ ipsi emicuerunt, quæ ad lucem nostram, quæ revelationis beneficio gaudemus, non nisi umbra sunt & nebula.

III. Quæ cognitio confusior ultra præcisam rationem formalem entitatis dependentis ad effectus, suis viribus superiores, elevari possibile non assurgebat: unde cum *Svarezio diss. Met. XXX. s. 17. formalem* indigitare possumus; distinctiorem verò *materialem*, quæ iis relicta est, qui supernaturali lumine adjuti potentiam istam, ad particulares effectus applicatam, velut in actu exercito attingunt.

IV. De qua cum consultius visum Nostro tacere, quàm pauca dicere; reliquias ejus proximè superioribus *Scholasticis* legerunt Viri in Philosophia exercitatissimi, quos *Scholasticos* amamus dicere: req; altiùs repetitâ progressi sunt ultra vires, quibus res per generalem saltē influxum ad actiones suis naturis proportionatas à Creatore ordinantur: & eam etiam potentiam exquisitiùs investigarunt, quæ creaturæ ad recipiendos vel eliciendos actus suis viribus superiores ab Agente infinito speciali auxilio elevantur: & *Obediencialem* appellitarunt.

V. In qua quidem nostra nunc occupabitur opera, præsertim cum & divina Oracula non rem solùm toties tradant, sed & vocem ipsam insinuent: *Matth. VIII. 27. Marc. IV. ult. Luc. XVII. 6.* Quæ non pro morali aliqua imperii executione



entione naturæ viribus præstandâ, sed pro rerum entitate infinitæ potentia obnoxia, & supernaturales actus hujus beneficio vel elicere vel recipere aptâ, accipi postulat.

VI. Vi suæ formalitatis transcendit potentias prædicamentales, & adæquatè contradistinguitur naturali potentia, non passivæ duntaxat, sed etiam activæ: & dicit rationem causandi, tum in genere causæ materialis actum aliquem à supernaturali Agente recipiendi, tum in genere causæ efficientis, actus supernaturales, beneficio extraordinarii concursus divini, exercendi.

VII. Undè absolutè melius est, ut potentia Obedientialis, ut sic sumta, præscindat ab activa & passiva, quàm ut determinatè dicatur passiva, ut nostra faciamus verba Dn. Scheibleri l. Metaph. c. XIV. n. 22. & pro diverso causationis modo activa alia est, alia passiva.

VIII. Activa est, quæ potentia aliqua nativa principio supernaturali conjuncta præstat effectum viribus suis naturalibus indebitum: sicut intellectus & voluntas à Spiritus S. gratiâ adjuta exercent; actum fidei, naturales eorum vires excedentem: & rursus intellectus, concurrente supernaturali lumine gloriæ, claram Dei visionem elicit, quæ naturaliter & ex se attingere non poterat.

IX. Passiva est, quæ ens creatum ultra virtutem suæ naturæ proportionatam à speciali Dei potentia aliquid actus, supernaturaliter communicatum, accipit: velut cum lapides speciali auxilio elevantur, ut ex iis filii Abrahamæ nascantur: aut corpus naturale, ut simul occupet plura numero loca, aut in eodem loco simul cū aliis corporibus existat.

X. Mixtam his adjicit Franco Burgersdicius *Inst. Met. l. l. c. XXX.* quæ illustrat exemplo conversionis nostræ ad Deum, quæ non in solâ passione, sed etiam actione consistat: siquidem homo ex nolente reddatur volens. Forsan præter necessitatem! Pro diversis namq; terminis ad alterutram ex dictis revocari posse arbitramur: ita ut receptio primi actus gratiæ operantis ad potentiam passivam, exercitium verò bonorum motuum subsequentiū ad activam cōmodè reduci possit; quod negotii in suo foro accuratissimè expositum dedit



dedit, Venerandus noster Præceptor *Dn. D. Musæus disp. de lib. arb. tb. 29. sqq.*

XI. Utraq; licet, ut apparet, in ordine ad affectum supernaturalem tanquam res incompleta conotet complementum & consortium causæ proximæ, virtutis scil. divinæ supernaturalis, intrinsecum respectum ad actum supernaturalem obtinentis; non tamen sunt in ipso Deo, utpote *cujus potentia propter amplitudinem & illimitationem nec præcisè naturalis est nec supernaturalis, sed eminenter utraq; includit:* verba sunt *Svarezu disp. Met. XLIII. Sect. IV. n. 4.*

XII. Hoc insuper habito nimium incautè hallucinatur non nemo, qui potentiam Obedientialem sub passivam redigens, mox dictorum immemor, eam *non tam in subjecto passibile esse docet, quam in agente: & potentiam, quæ dicuntur posse fieri ex lapidibus filii Abrahamæ, unicè querendam in agente, nempe in Deo.* Id verò de Deo, ab omni potentiâ passivâ alienissimo, vel cogitare religio esto!

XIII. Potuerat sibi consulere distinctione, inter ipsam potentiam ad actus extraordinarios elevandam, & principium extrinsecum deductivum talis potentiæ in actum exituræ. Illa non nisi creaturis propria est, estq; essentia rei elevata, & in recto significatur: hoc in obliquo connotatur, non ut receptivum, sed ut principium, à quo recipitur effectus in materia, ut loquitur *Petrus Hurt. de Mendoza disputat. Phys. IX. f. XIV. subf. III. §. 170.*

XIV. Universim igitur tria sunt, per quæ Potentia Obedientialis in actu primo constituitur: 1. Realis capacitas omnis actus supernaturalis, re tamen ab entitate non distincta. 2. Potentia Dei, creaturam supernaturali auxilio ad actionem aut passionem suis viribus superiorem producendam elevans. 3. Actus supernaturalis, quem ens creatum viribus naturæ producere nequit.

XV. Ultimum habet se instar formalis ultimi, quo absolvitur quidditas potentiæ obedientialis: priora duo materialis ferè vicem obtinent: & entitas quidem rei dependentis, ut receptiva vel elicitive effectus supernaturalis: Dei autem potentia in obliquo, ut diximus, connota-



etur, ut principium proximum productivum actuum supernaturalium.

XVI. A quibus ipsa supernaturalis nomen sortitur: siue quoad suam entitatem excedant vires naturæ, qualis est clara visio Dei: siue naturaliter alioquin producibiles modo supernaturali subjecto adveniant, quales erant miraculosæ morborum sanationes per Christi potentiam productæ. Illi nullam naturalem habitudinem dicunt ad suum subjectum: hi tamen ex intrinsecâ & naturali inclinatione petunt conjungi suo subjecto; sunt tamen eidem supernaturales, quatenus non à viribus ei congenitis sed virtute supernaturali introducuntur, ut docet *Svarez. l. cit. n. 10. Conimbric. 2. de cæl. c. 7. q. 3. a. 2.* idemq; mirâ perspicuitate proponit celebratissimus *Dn. Stablius*, Præceptor noster sincerè devenerandus, *Inst. Metaph. c. VIII.*

XVII. Nec hîc audimus *Conimbric. I. Phys. c. IX. q. XII. a. 7. VIII. Phys. c. II. q. 1. a. 1. Armandum de Bello Visu Tract. II. expl. term. c. XII.* cum recentioribus nostratibus haud paucis, qui *Thomam* ducem secuti, etiam artificiales formas per potentiam obedientialem è materia ab artifice educi judicant, quòd *materia nequeat naturalem habere potentiam, nisi ad formas sibi naturales.* Meminerint illi potiùs effati Philosophici: potentiam passivam actui formali proportionè correspondere, ita ut si actus naturaliter sit producibilis, potentiam etiam ei, quod naturaliter advenire potest, commensuratam habeat: quod in ipso reperimus fundatum *Aristotele nostro 3. de an. c. 5.*

XVIII. Et id quidem operosâ confutatione dilui non meretur. Altioris indaginis est: Quodnam illud sit in subjecto obedientialiter potente, quod in casu recto importatur? Nondum enim de eo convenit Philosophis: his quidem in nudâ potentiâ Logicâ & negatione repugnantiæ eam constituentibus; illis verò in ipsâ positivè rerum essentiâ & à Creatore dependentiâ, ad cuius nutum stare factæ sunt, ut ipse per eas & in iis faciat, quicquid vult.

XIX. Posteriori sententiæ addicti sunt *Soncinas l. V. Metaph. q. 17. Svarez. disp. Metaph. XLIII. s. IV. n. 16. Mendoza*



za disp. Phys. IX. sect. XIV. subs. 3. §. 170. F. Didacus Nugno in  
3. Thomæ q. LXII. a. 1. diff. 7. Tanner. Theol. Scholast. Tom. IV.  
disp. I. q. V. dub. 7. §. 201. D. Horneius Concl. Metaph. disp. II.  
Concl. 15., alii; qui nostrum etiam mereri videntur calculū.  
Quorum omnium velut nomine loquatur Capreolus apud  
Mendozam: *Potentia obedientialis receptiva, quam Deus in di-  
citur materia, non est aliud quàm essentia materia secundum rem; sed  
tamen secundum rationem addit respectum ad potentiam Dei.*  
Gemella his habet Soncinas l. d.

XX. Cæterum nuda non-repugnantia, quoniam for-  
maliter est negativa, tanti mensuram nominis non implet,  
ut realem actuum realem capacitatem in actu primo con-  
stituere possit. Formaliter autem omnis causa sive activa si-  
ve receptiva in actu primo constituitur per entitatem, dicē-  
tem relationem transcendentalem ad possibilitatem actio-  
nis & termini per eam producendi, quod latius deducunt  
*Petrus Hurt. de Mend. disp. Phys. VIII. sect. II. subs. 2. §. 18. sqq.*  
*Svarez. in 3. Thom. q. XIII. a. 1. disp. XXXI. sect. 6.*

XXI. Sanè & principium supernaturale, & actio ipsa  
exigunt potentiam aliquam positivam in creaturis. Princi-  
pium ipsum: quippe quòd suam naturam petit conjungi poten-  
tiæ, non de novo producendæ, sed jam productæ ad superna-  
turale effectum, quem suis viribus naturalibus non attingit,  
elevandæ. Actio supernaturalis etiam: quæ, quia supponi-  
tur à naturali agente efficienter procedere aut patiente re-  
cipi, eidemque etiam denominationem largitur; requirit o-  
mninò certam proportionem & habitudinem ad subjectum,  
secundum quam id habeat influxum sibi connaturalem ad  
formam, si non completam, saltem incompletam & accessi-  
one habitus operativi proximi perficiendam: unde & prin-  
cipium plusquam negativum, ad actum realem elevari po-  
tens, subjecto inesse arguit.

XXII. Quod ut manifestius evadat, advertendum:  
quòd sicut in actu supernaturaliter producto duæ sunt for-  
malitates virtute distinctæ i. receptio vel productio actus  
quoad substantiam suam præcisè considerata, v. g. cognitio  
Dei, ut à naturali & supernaturali abstrahit: 2. receptio vel  
pro-

pro-



productio determinati alicujus actus supernaturalis, v. e. cognitio Dei intuitiva; Ita in potentiâ ipsâ complexè & sub elevatione conceptâ duo sint 1. receptivitas vel activitas indeterminata. 2. supernaturalitas, quæ adæquatè ab altioris ordinis principio procedit: Illa radicalis dici potest, & est virtus activa, rei connaturalis; hæc formalis, quia ab immediato & formali principio agendi provenit.

XXIII. Utraq; in suo ordine influunt per positivam virtutem, & sibi proportionatam exercent causalitatem: Illa per vim naturalem & ab entitate sua non distinctam receptionem vel actionem in communi respicit, hæc adæquatè ad speciem actus supernaturalis ordinatur, & proximè eundem attingit. Hoc sensu intellectus & voluntas, tanquã potentiæ naturales, concurrunt ad claram visionem & dilectionem Dei activè, quoad exercitium actus, quia intellectus est, qui videt, voluntas, quæ diligit: licet utraq; ad actû suis viribus naturalibus incommensuratum à lumine gloriæ, tanquam supernaturali principio, juvari debeant. De quo consuli possunt *Ludov. Molina in p. 1. Thomæ q. XII. a. 1. disp. 2. Becan. Theol. Scholast. part. III. tr. II. c. III. q. IV. Tanner. Tom. I. Theol. Scholast. disp. II. q. 6. dub. 3. & 4. it. Tom. IV. disp. III. q. III. dub. III.*

XXIV. Excidit hæc ipsa sententia, vel tale non cogitanti *Fonseca IX. Metaph. cap. 1. quest. IV. sect. IV.* jam affirmanti, *negationem repugnantie habere creaturas ad effectivè concurrendum cum Deo: mox: ipsas entitates rerum ex natura sua aliquid agere debere, si obedientialiter potentes debeant esse.* Non alia hæc sunt à mente Capreoli & cæterorum complicum, quos & ipsos differentiam potentiæ obedientialis à rerum entitatibus, non quantum ad absolutum esse, sed respectivum tantum, agnoscere, supra vidimus.

XXV. Mirum proinde, eundem immemorem jam-jam dicendorum tâto nisu nostram impugnare sententiam: quam ab oppositis argumentis impræsentiarum de facili vindicabimus; divisi tamen ab illis, quos materiæ quoq; primæ & ipsis relationibus potentiam obedientialem activam assignare ipse testatur. Contra quos rectè ille: *puram potē-  
tiam*



tiam (passivam) principium effectivum sine contradictione esse non posse. Nec istud forsitan malè: relationes, quòd non sint nisi actus ad respiciendum terminum, principia effectiva esse non posse.

XXVI. Hic sistendum fuerat. Sed negotium facessit injectis aliquot scrupulis, quos sparsim collectos & succinctim propositos breviter disjiciemus. I. Ait: Si rerum creatarum entitates essent ex seipsis principia effectiva operum supernaturalium; futurum, ut quæ perfectiores essent, essent aptiores ad ea efficienda. II. Futuras eas causas principales subordinatas principaliori. III. Potentias istas non obedientiales amplius, sed naturales dicendas; quòd sint rerum entitas & natura. IV. Entitatibus rerum creatarum plenè cognitis posse cognosci effecta omnia supernaturalia. V. Actus supernaturales hoc modo deberi naturis rerum, quippe eorum capacibus. Postremò VI. potentiam obedientialem futuram simul & unius speciei, quia unius sit objecti, nempe cuiusvis, quod non implicat contradictionem; & diversarum, quia ponatur identificata cum diversis specie entitatibus. De singulis breviter videbimus.

XXVII. Ad I. R. Entitates nec secundum suam rationem formalem, nec secundum majorem vel minorem perfectionem consideratas, ex se dicere connotationem ad actum supernaturalem, neq; eas intrinsecè ab actu supernaturali denominari. Quippe ex natura sua non petunt illis conjungi, habentq; se velut principium remotum, & indifferenter ad activitatem vel receptivitatem concurrunt, abstrahunt autem ab actu naturali & supernaturali. In quam rem eruditissimè *Job. Paulus Nazarius in 3. Thom. q. XIII. a. 2. contrav. 4. Virtutis create*, inquit, *ordinem realem non pertinere ad rationem essentialem & intrinsecam potentia obedientialis activæ, sed ad ejus exercitium aut complementum, quo fit proximè potens cooperari.*

XXVIII. In Ildo revocamus *Fonseca* in mentem, quod docet ipse l. cit., *agentia libera in actibus supernaturalibus liberis non esse proprie instrumenta, sed causas principales subordinatas primæ causæ specialiter cum illis concurrenti.* Deinde supponit falsum, instrumentalem causam non habere in-

B

fluxum



fluxum in seipsâ, nisi quem per elevationem causæ principali accipit: per quid autem tandem constituetur causativa in actu primo, & ut principali contradistinguitur? Denominatio extrinseca sanè non sufficit, ut fuse probat Suarez. in 3. Thom. q. XII. a. 1. disp. XXXI. sect. 6. Quin tertio dicimus, vel ideò res creatas habere in se virtutem agendi, quia ad actionem concurrere dicuntur, etsi viribus ultra virtutem suam elevatis influant.

XXIX. Illium solutu facile est. Si enim potentiam obedientialem dicere velit naturalem eo nomine, quòd sit de natura universali entis per participationem, quatenus ens per participationem est, ac ut Deo subicitur tanquam supremæ causæ & motori, à quo dependeat in fieri conservari & moveri tam naturali quam supernaturali; dixerit sanè, per nos etiam, naturalem. Manebit tamen salva appellatio supernaturalis, quam ab actu & agente supernaturali ultra entitatem in sua specie vel natura constitutam, nanciscitur.

XXX. IVtum argumentum desumptum à cognitione entitatum, quibus formaliter res constituuntur, & inde procedens ad cognitionem eorum, quæ virtualiter insunt; redolet Scholam Pontificiam. Nec enim, qui intrinsecâ rerum naturam & eam immediatè consequentia penetrat, ea etiam in numerato habet, ad quæ extrinsecè & velut accidentaliter terminantur: velut, qui materiæ essentiam cognovit, non omnes etiam actus ejus formales exploratos habet.

XXXI. Ad Vtum tenendum: entitatem rerum, in qua fundamentum & radicem potentiae obedientialis consistere diximus, de se, primò & suâ naturâ non petere conjungi virtuti aut motioni supernaturali, sed velut concomitante dicere ordinem ad virtutem à supernaturaliter agente recipiendam.

XXXII. Et hoc est, quod nonnulli, rerum entitates inchoatè propensas ad actum supernaturalem esse dixerunt. Quo sine causâ offenditur Fonseca. Tenenda enim distinctio inchoatam quoad fundamentum, ex parte naturæ necessariam ad



ad actualem elevationem. Illam negamus emanare ex natura: aliàs nulla creatura posset produci in puris naturalibus: hanc autem necessariam esse dicimus, si quidem intrinsecè & non per denominationem extrinsecam tantùm influere creaturas dicam: & fundatur ea in subordinatione creaturæ ad suum Creatorem, quæ non poterat non condi subijcibilis omnipotentia divina ad omnem operandi modum, possibilem & non involventem contradictionem.

XXXIII. Postremò Vito perperam sumit Fonseca unitatem & distinctionem specificam potentia obedientialis ex diversis specie entitatibus, cum quibus sit identificata. Neq; enim entitas hæc consideratur, ut talis specie entitas est, sed ut præcisè creatura est, intrinsecà ratione includens subjectionem ad Dei omnipotentiam, tum naturaliter tum supernaturaliter creaturam moventem.

XXXIV. Unde accidit potentia obedientiali, ut tali, in diversas specie entitates cadere: nec ab his sed ab objecti ratione sub quâ, omnibus communi, scilicet actu supernaturali in subjecto creato producibili, petendus est. Equè ut naturales potentia realiter cum diversis speciebus identificata à subjectis diversis denominationem specificam non sumunt, sed ab unitate actus, ad quem formaliter ordinantur.

XXXV. Quæ omnia eâ lege proponimus, ut accuratiora de arduâ hac materia edoctorum admissuri simus animo verè Aristotelico, hoc est, veritatis avidissimo. Quin & nobis dictum putamus aureum effatû prudentissimi Scherbi, quod quidem à prudentia ad sapientiam mentemq; theoreticam transferre jubet: *Accommodare suas cogitationes & consilia prudentum consiliis, esse, se iis imitatione quadam similem reddere. Tantum autem abesse, ut hæc turpis quædam servitus sit, ut nulla major in ætatem juvenilem laus & perfectio cadere possit.*

---

**N**E, REU, pœniteat Sophia impallescere chartis  
humanæ te, & eas jungere ritè sacris.  
Mirè namq; juvant divini oracula verbi  
tractantem, veterum docta reperta Sophum:

Sive



Sive partim claris fuerit lux danda, venenum  
sive propulsandum pestiferum haeticum,  
Perge viam coeptam, REU, pergere fervidas, alto  
è caelo haut deerit auxilium atq; favor.

*Ne desit, animitus precor, qui fundeb, & versiculos*

*hosce pauculos avroxyd*

Philippus Horst P.P. Facult.  
Philos. Senior.

**N**on modò naturæ sese tenet ordine fixo,  
Ad majora levat sæpè creata Deus.  
Illud sola docet ratio, hoc Scriptura revelat:  
Auxilio alterius neutra carere potest.  
Quàm benè prælagis fructus hos, optime REUHI?  
Quorum primitias non sine laude capis.  
Ne vili facias rationis nobile lumen,  
Quod nostris animis indidit ipse Deus.

Præstantissimo Dn. Respondenti amicæ  
gratulationis ergò fac.

Johannes Zeifold Prof. Publ.

**V**ER Tibi nomen erit, retrò si voluitur illud,  
insimul unde omen convenienter habes.  
Tempora namq; Juventutis benè verna locasti,  
quod nobis labor hic comprobat assiduus.

Boni ominis ergò

*avroxedias f.*

Johannes Fridericus Dürrius  
VVeidenbachô-Francus.

JOHANNES CHRISTOPHORUS REU

*καὶ ἀνάγκη*

VINCE: TRAHIS PUROS HONORES.

**Q**uis Tibi, quis vires animumq; ministrat? ut ausis  
Scandere doctorum pulpita clara Virum,  
Has tibi, mi REUHI, vires animumq; ministrant  
Ingenium solers, sedulus atq; labor.

Perge, velut pergis, statues, mihi crede, trophæa,  
Quæ poterit nunquam vertere longa dies.

VINCE: TRAHIS PUROS. Virtutis & Artis HONORES,  
Ut tibi felices sint maneantq; precor.

Otto Henricus Laberna  
Sulzbachô-Palatinus.

F I N I S.







